

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## CAMBRIDGE LIBRARY COLLECTION

*Books of enduring scholarly value*

### Religion

For centuries, scripture and theology were the focus of prodigious amounts of scholarship and publishing, dominated in the English-speaking world by the work of Protestant Christians. Enlightenment philosophy and science, anthropology, ethnology and the colonial experience all brought new perspectives, lively debates and heated controversies to the study of religion and its role in the world, many of which continue to this day. This series explores the editing and interpretation of religious texts, the history of religious ideas and institutions, and not least the encounter between religion and science.

### Novum Testamentum Graece et Latine

Published in 2 volumes in 1842 and 1850, this is the second edition of Lachmann's New Testament in Greek and Latin. His first edition of a Greek New Testament and Latin Vulgate was published in 1831 and was heavily criticised for relying on a narrow range of sources. The second edition takes into account later Latin manuscripts. By comparing the Greek and Latin texts side by side, Lachmann was trying to highlight the shortcomings of the Latin Vulgate translation, considered the authoritative version of the New Testament by the Catholic Church. Lachmann argued that the Gospel of Mark, not that of Matthew, was written first and should take priority. The annotations to the Greek text were supplied by another German philologist, Philip Buttmann. This first volume contains a Latin preface outlining Lachmann's method for evaluating the authority of biblical texts, and the four gospels of Matthew, Mark, Luke and John.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

---

Cambridge University Press has long been a pioneer in the reissuing of out-of-print titles from its own backlist, producing digital reprints of books that are still sought after by scholars and students but could not be reprinted economically using traditional technology. The Cambridge Library Collection extends this activity to a wider range of books which are still of importance to researchers and professionals, either for the source material they contain, or as landmarks in the history of their academic discipline.

Drawing from the world-renowned collections in the Cambridge University Library, and guided by the advice of experts in each subject area, Cambridge University Press is using state-of-the-art scanning machines in its own Printing House to capture the content of each book selected for inclusion. The files are processed to give a consistently clear, crisp image, and the books finished to the high quality standard for which the Press is recognised around the world. The latest print-on-demand technology ensures that the books will remain available indefinitely, and that orders for single or multiple copies can quickly be supplied.

The Cambridge Library Collection will bring back to life books of enduring scholarly value (including out-of-copyright works originally issued by other publishers) across a wide range of disciplines in the humanities and social sciences and in science and technology.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

# Novum Testamentum Graece et Latine

VOLUME 1

EDITED BY KARL LACHMANN  
AND PHILIPP BUTTMANN



CAMBRIDGE  
UNIVERSITY PRESS

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

CAMBRIDGE UNIVERSITY PRESS

Cambridge, New York, Melbourne, Madrid, Cape Town, Singapore,  
São Paulo, Delhi, Dubai, Tokyo

Published in the United States of America by Cambridge University Press, New York

[www.cambridge.org](http://www.cambridge.org)

Information on this title: [www.cambridge.org/9781108007610](http://www.cambridge.org/9781108007610)

© in this compilation Cambridge University Press 2009

This edition first published 1842

This digitally printed version 2009

ISBN 978-1-108-00761-0 Paperback

This book reproduces the text of the original edition. The content and language reflect the beliefs, practices and terminology of their time, and have not been updated.

Cambridge University Press wishes to make clear that the book, unless originally published by Cambridge, is not being republished by, in association or collaboration with, or with the endorsement or approval of, the original publisher or its successors in title.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

# NOVVM TESTAMENTVM

GRAECE ET LATINE

---

CAROLVS LACHMANNVS RECENSIVIT

PHILIPPVS BUTTMANNVS PH. F. GRAECAE  
LECTIONIS AVCTORITATES APPOSVIT

TOMVS PRIOR

---

BEROLINI

IN AEDIBVS GEORGII REIMERI

A. MDCCCXXXII

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

---

**PIAE RECORDATIONI**

**FRIDERICI SCHLEIERMACHERI**

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## PRAEFATIO CAROLI LACHMANNI.

Ad scripta veterum repraesentanda duabus diversis utimur artibus: nam et qui scriptor quid scripserit disputamus, et quo rerum statu quid senserit et cogitarit exponimus; quorum alterum sibi iudicandi facultas vindicat, alterum interpretatione continetur. iudicandi tres gradus sunt, recensere, emendare, originem detegere. nam quid scriptum fuerit, duobus modis intellegitur, testibus examinandis, et testimoniis, ubi peccant, revocandis ad verum: ita sensim a scriptis ad scriptorem transiri debet. itaque ante omnia quid fidissimi auctores tradiderint quaerendum est, tum quid a scriptoris manu venire potuerit iudicandum, tertio gradu quis quo tempore qua condicione quibus adminiculis usus scripserit explorandum. ex auctoribus quaerere, quod primo loco posui, id quod recensere dicitur, sine interpretatione et possumus et debemus: contra interpretatio, nisi quid testes ferant intellectum fuerit, locum habere, nisi de scriptore constiterit, absolvi non potest: rursus emendatio et libri originis investigatio, quia ad ingenium scriptoris cognoscendum pertinet, tamquam fundamento nititur interpretatione. quo fit ut nulla huius negotii pars tuto a ceteris separari possit, nisi illa una quae debet esse omnium prima: illam dico quae testium fidem perscrutatur et locupletissimis auctoribus tradita repraesentat.

Quid igitur eos spectare dicemus, qui hunc ipsum primum gradum contemnentes libros novi testamenti recensendos negant? scilicet illis rectius agere videtur qui communem et pervulgatam editionem recognoscat et ubi fieri possit emendet. itane vero? navo et continuo labori operam fortuitam remissam negligentem praeferunt? longe maximam verborum sacrorum partem a recognoscente sine ulla cura praeteriri non indignantur, sed postulant? ex acutulis observationibus cupide correctae laudibus efferunt, vitia indiligenter relicta non culpant? ni mirum, tametsi confiteri nolint, pudendam superstitionem unum mendex vocabulum inquit: nam ista *recepta* editio, quam nemo doctus

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## VI

authenticam habuit, si potius vel vulgaris vel plebeia vel denique tolerata, cum vix tolerabilis sit, diceretur, hodie ista levissima duorum eximiorum typographorum opera in refigenda fortuito nata lectione posita non videretur emendabilis, sed reicienda. quanto satius fuit id iam dudum suscepisse quod nunc tandem nostra, id est mea et Philippi Buttmanni, perficitur industria! quod si Bengelius eadem prudentia qua apocalypsin omne novum testamentum recensisset, Graeae nobis non obstreperent, illae, inquam, quas apud Aeschylum Prometheus depingit,

*δηναιαὶ κόραι  
τρεις κυκλόμορφοι κοινὸν ὄμι' ἐκτεμέναι,*

quae superbia inflatae una voce ter \*) raucum insonuere, et facillimum esse laborem nostrum et inutilem. nec defuit qui diceret hoc totum negotium posse per se quemlibet, si modo velit, ex quacunque editione critica conficere. quod non est ita: neque enim ulla umquam facta est editio critica quae omne instrumentum exhiberet, neque eo uti potest nisi qui artem didicerit sive per se inventam sive a me monstratam.

Sunt autem huius artis praecepta numero pauca, aperta cognitu, ad usum prompta, siquis modeste ac pudenter agat neque iudicium prius quam quaestionem exerceat. in quo soleo quorundam criticorum tumultus mirari, qui, cum primum testis cum teste discrepare intellectus est, statim argumenta parata habent quibus sese quid ipse scriptor ediderit docere posse confidant. nempe hoc modo factum est ut multa gravissimis monumentis testata, quod reconditiora essent, non satis explicata reicerent, alia vix relatu digna, quod subtilibus ratiunculis exornari possent, susciperent, nihil quidem veriti sanctis scriptoribus iniuriam facere, dum sibi cum suo acumine placerent. quanto autem est homine Christiano dignius, cupiditati ac sui confidentiae moderantem quaerere qua quidque fide in ecclesia a primis inde temporibus posteritati propagatum sit et quasi per manus traditum, idque vero propius esse existimare, tametsi nondum percipias, quod auctores ediderint locupletissimi.

Ergo quia de libris per multa saecula deductis et in diversas nationes dispersis testes expendendi sunt, ante omnia antiquissimorum rationem habebimus, et inter hos talium qui a quam disiunctis-

---

\*) Hallische allgemeine litteraturzeitung 1833, I, p. 411; 1834, I, p. 310. 311; Röhrs kritische predigerbibliothek, XIV, p. 416. 417.



Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## VII

simis processerint locis: sine certo constituto recentiores, item leves et corruptos, quantum fieri poterit recusabimus.

Ac primum quidem de antiquitate cur tam multi nobis adversentur mirabile est. qui si scirent quam pauca sint quae antiqui testes non emendatissima exhibeant, profecto novos et a primo fonte longe remotos neque ullo nomine luculentiores contemnerent: nunc quaesita ratione id quod natura sua raro fieri potest hic locum habere dicunt, ut antiqui libri quicumque ad nostra pervenerint tempora, ii omnes pravi et corrupti sint: novos autem, quorum maxima et copia est et inter se similitudo, esse fere eodem exemplo scriptos quo fuerint antiquissimi scilicet qui non extant. quod ut fieri posse non nego, sic reapse ita esse pernego, quandoquidem ii scriptores antiqui quorum temporibus et bonos et pravos codices fuisse statuunt, cur solis pravis usi fuerint causam nemo dicere potest, cum tamen vetustissimi qui extant libros cum scriptoribus antiquissimis mirifice consentire appareat. quae cum ita sint, expectabo donec aliquis hanc reconditam rationem aperuerit, cur Irenaeus et Origenes quam Complutenses aut Erasmus depravatoribus libris usi esse existinandi sint. tantum nequis Atticismo et suo et Byzantii natorum codicum exultet: in quo genere istas quas supra dicebam Graecas video, quidquid suo illo lumine numquam conspexerint, id alium neminem cognovisse habere certissimum.

Tantorum tamque expolitorum ingeniorum cachinnos si reformidarem, Hieronymi non auderem apponere iudicium, qui ab istorum subtilitate longe afruit, quibus facillimum est sanctis scriptoribus sua verba suasque sententias sprete testium auctoritate restituere. at ille mihi valde prudenter videtur egisse, cum quattuor euangelia edidit 'codicum Graecorum emendata conlatione,' inquit, 'sed veterum.' sed non minus prudenter hoc, quod codices a Luciano et Hesychio nuncupatos repudiavit, quos paucorum hominum adseri ait perversa contentione, cum multarum gentium linguis scriptura ante translata doceat falsa esse quae addita sint. hoc scilicet illud est quod supra dixi, ex diversis orbis Christiani partibus testes colligendos esse, corruptis fidem praestari non oportere. nam in quo longinquarum regionum libri consentiunt, id ex antiquissimis in diversa loca diffusum esse credibile est: contra quae singulorum exemplarium propria sunt, ea domi nata neque ex communi fonte derivata esse debemus suspicari. horum igitur priva testimonia reiciemus, quia consensum requirimus: ipsos libros totos, si modo antiqui sunt, si modo plerumque certi, non recusabimus: nam si testes nulla vel neglegentia vel curiositate vel

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## VIII

libidine peccantes solos admittere velimus, verendum est ne omnino omnes debeamus excludere.

Nunc incipiam singula testificationum perpendere momenta. itaque nihil testatius esse potest eo in quo omnes undique auctores consentiunt. paulo minus efficit consensus, si eorum pars taceat vel aliquo modo deficiat. porro maius in testium ex diversis regionibus coactorum concordia firmamentum est quam ab aliquot popularibus vel negligentia vel quasi compacto ab illis discedentibus periculum. sed aucipitia censenda sunt testimonia, cum longinquorum testium consensus aliorum item locis diiunctorum in diversa testificatione consensu elevatur. incerta sunt quae in aliis regionibus alia, sed constanti singularum consuetudine, tradita sunt. postremo infirma, in quibus ne eadem quidem regiones consentiunt.

Hisce sex, nisi fallor, auctoritatis et fidei gradibus singula verba ac paene singulae litterae censi poterunt, si eam quam supra exposui testium expendorum secuti fuerimus rationem. quorum si cui aut iniuria facta fuerit aut parum idoneus admissus, effectus in multis partibus alius ac diversus erit quam si omnibus qui extant probis et gravibus utemur; itemque alius, si teste incognito, sed certo et multarum rerum gnaro, tandem producto multa ad id tempus exigua fide tradita haud paulo maiorem nancta fuerint auctoritatem.

Habes normam recensendi, necessariam, simplicem, sed magnae diligentiae et anxiae quaestionis plenam: habes effectus, partim laetissimos, partim parum firmos et ipso casu mutabiles. at vero istorum qui nobis adversantur et felicior condicio est et gloriosior. nam eorum longe plurima in quibus nos multum laboramus, incognita et intacta praetereunt: est enim facilius sane et commodius auctoritates non exquirere, sed eis quae vir magnus Erasmus dedit, neque illustres typographi Robertus Stephanus et Elzevirii fratres spreverunt, nec denique Griesbachii sollertia removit, tamquam certissimis inhaerere. tum vero idem Griesbachius, quem unum auctorem habent (nam Wetstenii duo ingentia sunt volumina, Matthaei autem quam multa!), quemcumque ille in remissos animos iniecit aculeum, facile evellunt firmo et certo iudicio, sed suo. illa scilicet ingeniosis tractatoribus nobilis videtur et efficax confidentia, nostra autem haec anxietas tarda illiberalis servilis. quod ubi ab ingeniis suis sese destitui sentiunt, nequid etiam minimum ignorare videantur, me culpant, quod testes nimium paucos secutus sim; sed eos et fidissimos et praeter quos veteres alii nulli extant: ipsi suos, quibus confidunt, quot numero

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## IX

qualesve sint, dicere non possunt. ego vero si istis valde placerem, mihi vehementer displicerem: nam ita didici, fidem religionem constantiam in nullo negotio posse adhiberi nimiam: neque in his libris, quorum nullam litteram neglegi oportere sentio, velim quicquam meo arbitrato meoque iudicio definire, sed per omnia auctores sequi et antiquissimos et probatissimos.

**A**c mihi videtur singulari providentiae benignitate effectum esse ut testes omnium antiquissimi et aetate paene pares essent et ex diversis prodirent regionibus, recentissimus autem cuius aliqua habenda ratio sit, illis primis non amplius annis ducentis esset posterior. tot enim ferme annorum spatio ab Irenaeo, paucioribus ab Origene, distat Hieronymi editio; quae nobis ad eam rem erit ut nequid extremo quarto saeculo recentius admittamus, si quando testium vel antiquitas vel fides non poterit satis certo cognosci: nam Hieronymo per se auctore non utimur, sed antiquioribus quive his deficientibus tuto substitui possint.

In Irenaeo (nam ab hoc incipiendum est) ut caveamus ne quae memoriae vitio male protulerit pro testatis habeamus, communis et pervulgata praeceptio est. insigne exemplum dedimus huius voluminis pagina 59,8.9. nec mihi obscurum videtur Irenaeum, cum libros suos scriberet, saepius quam ipsa sacra scriptura suo quodam usum esse eclogario, in quo ea quae sibi usui futura putaret perscripsisset. inde est quod libro quinto p.319 Lucae tribuit quae sunt Matthaei 4,9, scilicet ex Luca 4,6 interpolata, hoc modo, 'haec omnia tibi dabo, [quoniam mihi tradita sunt et cui volo do ea,] si procidens adoraveris me'. item libro quarto p. 243 haec habet petita ex Luca 6,29 admixto Matthaeo 5,40, 'tollenti tibi tunicam, [remitte ei et pallium,] et ab eo qui tollit tua non reposcas. et quem admodum vultis ut faciant vobis homines, facite eis. [et si quis te angariaverit mille passus, vade cum eo alia duo]'. item libro tertio p.210 duo Matthaei capita 10,18. 23,34 commiscet, ita, 'ante duces et reges stabitis propter me, [et ex vobis flagellabunt et interficient et persequentur a civitate in civitatem]'.

Altera cautio est ne per socordiam decipiamur librariorum. Sabatarius in libro utilissimo fere sequitur iudicium Massueti: nos et ex Irenaeo et ex ceteris auctoribus Latinis, Cypriano, Lucifero Calaritano, Hilario Pictavensi; ea exhibuimus quae critici sibi in optimis

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## X

membranis lecta indicassent. nam testimonia Latina non ab Sabatario sumpsimus, sed nostro studio collegimus: quo factum est ut alia rectius scripta, alia proprio loco relata, paucula etiam ab illo neglecta, apposuerimus, et ille contra fortasse non nulla dederit a nobis in tam vasto labore praetermissa. Hilarium Maffei subinde inspeximus, sed eum post nos constantius excutiet qui criticos adiuvere quam ingentes commentarios consarcinare maluerit.

Sed redeundum est ad Irenaeum. in quo tertium in eo positum est incommodum, quod ille non tam ipse loquitur quam per interpretem. sed hic interpretis satis antiquus est, quippe quo Tertullianus usus sit: neque ille usquam facile in Irenaei opere vertendo Latinam librorum sacrorum editionem evoluit, sed ei cum adsuetus esset, multa vocabula ut illic esse meminerat ita expressit. quid ergo est? licet aliquando non Irenaeum sed Latinos novi testamenti codices secutus sit, eos cum Irenaei libris in plerisque omnibus consensisse multis documentis cognoscitur; quamquam non negabo paucis quibusdam locis Irenaeo cum Origene et ceteris Graecis magis quam cum Latinis convenire.

Ceterum illa Latina librorum sacrorum interpretatio quin secundo saeculo facta sit dubitari non potest hac ipsa de causa quod Irenaei interpreti non fuit ignota. hoc autem, si velimus attendere, non est ad intellegendum difficile: adeo multa sunt in quibus et Irenaeus Latinus et ceteri scriptores Latini antiquissimi et codices Latini sinceriores consentiunt; quae nisi in usu et consuetudine communi fuissent, necessario ab alio aliter referrentur. exempla subieci eius modi tantum in quibus non modo ceteri sed etiam Irenaei interpretis consentiret. *εὐδοκία* Lucae 2,14 'bona voluntas', non 'placitum'. *κάλαιμον συντετριμμένον* Matth. 12,20 'calamum conquassatum' Irenaei interpretis, 'harundinem quassatam' ceteri. *λαὸν κατεσκευασμένον* Luc. 1,17 'plebem perfectam'. *ἡ μέλλουσα ὀργή* 'ventura'; vix apud unum vel alterum 'futura': quos ita mutare non miror, sed ceterorum consensum miror. Matth. 7,12 *ἵνα μὴ κριθῆτε — κριθῆσεσθε* 'ne iudicemini — iudicabitur de vobis'. cur nullus omnium posuit 'iudicabimini' aut 'iudicari habetis'? *ἄμεμπτος* 'sine querella'; sed ad Hebraeos 8,7 longe aliter et quidem liberius, ne omnes libros ab eodem homine Latinos factos putemus. Luc. 1,8 *ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτόν* 'cum sacerdotio fungeretur', *τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ* 'vicis suae', mox 1,9 *ἔλαχε τοῦ θυμῶσιν* 'sorte exiit ut incensum poneret'. hoc postremum cum nimis ineptum videretur, apud Irenaeum addita est alia interpretatio haec, 'evenit (quod male scribitur 'et venit') uti sacrificaret': ab aliis

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

factum 'forte accidit sacrificare'. Luc. 12,58 ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ 'ut libereris ab eo', ubi vix ullus habet 'discedere'. actuum 8,9 ἐξι-  
 στῶν 'seducens', tum deinde 8,11 ἐξιστακέναι αὐτούς 'dementasset  
 eos'. 8,23 σύνδισμος ἀδικίας 'obligatio iniustitiae': hoc ita omnes.  
 10,2 εὐσεβής 'religiosus'. 11,15 μὴ κοῖνον 'ne commune dixeris'.  
 11,38 τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου 'qui oppressi  
 erant a diabolo'. 20,27 οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην 'non enim subtraxi'. ad  
 Rom. 13,2 ἑαυτοῖς κῆμα λήμψονται 'ipsi damnationem sibi adqui-  
 runt'. in prima ad Corinth. 1,28 τὰ ἐξουθενήμενα 'contemptibilia'.  
 3,17 φθείρει φθείρει 'violaverit disperdet', vel 'violaverit violabit', sed  
 'violaverit' tantum non omnes. . in secunda 2,17 καπηλεύοντες 'adul-  
 terantes'. ad Galat. 2,2 ἀνεθέμην αὐτοῖς τὸ εὐαγγέλιον 'contuli cum  
 eis euangelium'. 3,5 ὁ ἐπιχορηγῶν 'qui tribuit', non 'qui ministrat'.  
 ad Ephes. 5,6 ἀπατᾶν 'seducere', et in secunda ad Thessal. 2,10  
 ἀπάτη 'seductio'. ita in Paulinis tantum, ut ad Ephes. 4,22 apud  
 Tertullianum, et ubicumque in iis legitur ἐξαπατᾶν: nam quod idem  
 in epistula Iacobi 1,26 usu venit, non est magni momenti, cum ca-  
 tholicarum maiorem partem post ceteros libros Latine expressas esse  
 manifestum sit. ad Philipp. 2,15 φωστῆρες 'luminaria' uno consensu  
 omnes. 3,20 πολιτεία 'conversatio'. eodem modo ad Ephes. 2,12  
 exprimitur πολιτεία: quod profecto mirum, nisi idem interpretes utram-  
 que epistulam vertit. in prima ad Thessal. 5,3 εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια  
 'pax et munitio'.

Haec eo curiosius tractavi, quod videbam eos qui de vetere in-  
 terpretatione rectissime sensissent, nulla sententiae suae argumenta  
 dixisse. alii posthac subtilius exponent quot numero interpretes fue-  
 rint et quo ordine scripserint: mihi satis est si de maiore parte novi  
 testamenti demonstravero, singulos libros semel Latinis verbis expres-  
 sos esse, deinde inmutatos ab aliis, non denuo versos. vetus haec in-  
 terpretatio vix dubitari potest quin inter eam gentem quae Graecae  
 linguae minime perita esset nata fuerit, hoc est in Africa: de quo  
 post alios ad persuadendum satis dixit vir doctissimus Nicolaus Wise-  
 manus \*). sed haec Afrā lectio mox tam varie correctā mutata cor-  
 rupta fuit, ut hodie non videatur tota recipari posse, et magna  
 cautione opus sit in testibus seligendis, ne alios admittamus quam

\*) Two letters on some parts of the controversy concerning 1. John V,7.  
 containing also an inquiry into the origin of the first Latin version  
 of scripture, commonly called the Itala. Rome 1835.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XII

qui illam veterem vulgatam in plerisque sinceram exhibeant. itaque inter scriptores Latinos ii soli quos supra diximus nobis visi sunt idonei, Cyprianus, Lucifer Calaritanus, Hilarius Pictavensis, et codicibus Latinis uti maluimus paucis quam parum fidelibus.

Euangelia vetera Vercellense et Veronense exhibuimus quem admodum ab Iosepho Blanchino in euangeliario quadruplice Romae anno 1749 edita sunt nec summa cum fide et multis sui partibus lacera. quibus Buttmannus (nam is hanc partem administravit solus) cum tanta cura usus est, ut ubicumque vel minimus est ceterorum dissensus, cum horum testium nulla facta fuerit mentio, tum eos tacere credendum sit. tertium his adiunximus in euangeliis Colbertinum in Petri Sabatarii bibliis Latinis anno 1749 Parisiis editum, ab omni parte integrum, sed saeculo duodecimo neglegenter scriptum. haec tria sola euangelia tum cum hanc editionem instituebamus meminere tota typis expressa (nam excerptis uti minus tutum existimabam): sed latuit me codicis euangeliorum purpurei litteris argenteis scripti pars non exigua Neapoli olim Vindobonam advecta, cuius ectypum in temporariis quibusdam libellis occultatum potius quam vulgatum quod numquam videram, locupletioribus intentus neglexi. in quo incuriam meam reprehendet qui singula indicare poterit quae propter illum librum, si eo fuisset usi, in scriptionis seriem a nobis admitti debuissent. Claromontanum Matthaei codicem, qui nunc est in Vaticana bibliotheca, cum is qui eum edidit cum Brixiensi saepius quam cum aliis congruere dixisset, id quidem mendacium esse sero comperi: est enim nulli dissimilior. hic quoque aliquando in cellas nostras cogendus erit. nuper audiui in Sangallensis monasterii bibliotheca esse aliquot paginas antiquissimi libri litteris uncialibus scripti, qui paene in omnibus cum Vercellensi consentiret. eis, ut accepi, haec continentur, Matth. 17,1-5. 14-26. 18,1-20. 19,21-21,3. 26,56-74. 27,62-28,2. 8-20. Marci 7,13-31. 8,32-9,9. 13,3-20. 15,22-16,13. eodem loco adservatur extrema pagina euangelii Marci littera unciali Merovingica scripta: ex qua quid profici possit ignoro, quia post excessum Ildefonsi ab Arx, optimi senis et de me egregie meriti, a quo id exquiram habeo neminem.

In Paulinis epistulis duorum nobis codicum exemplaria praestiterunt, regii, qui Claromontanus dicitur, a Sabatario in bibliis Latinis, Börneriani sive Dresdensis a Christiano Frid. Matthaei Misenaee anno 1791 editum. Claromontani vetere apographo Sangermanensi, cuius varietates Sabatarius exhibuit, vix usquam usi sumus. Börnerianus caute tractandus fuit, ut pote saeculo nono apud Sanctum

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XIII

Gallum scriptus (hoc enim Rettigius accurate docuit), sane ad exemplum vetus Graecum et Latinum, sed a librario qui et Hieronymianam in manibus haberet et ipse grammaticam Dosithei degustasset. apocalypsin ex commentariis Primasii, saeculi sexti scriptoris, a Sabatario excerptam in usus nostros convertimus. in reliquis novi testamenti partibus Afrae interpretationis codices sinceros non habuimus.

Nam in recensendo ne a vera via aberremus, in primis cavendum est a praevicatoribus. extant enim Latini libri non pauci qui cum ad Graeca exemplaria exacti sint, ab Afra sua origine mirum quantum discrepent et cum inimicissimis quasi colludant. quos vel emendatos vel Italicos dicere licet: nam illud studium emendandi Latina ex Graecis longe advectis Romae potius et in Italia quam in provinciis viguisse credibile est. idque ipsum Augustinus satis declarat, qui cum in varietate codicum Latinorum postremo ad Graecos redeundum esse dicat, ante omnia Latinos veriores, scilicet Afris, in Italia scriptos consuli iubet. nam exemplaria Italica intellegenda esse ubi 'interpretationem Italam' ceteris praeferendam esse scribit de doctrina Christiana libro secundo 15,22, Wisemanus egregie demonstravit, hoc argumento usus quod idem Augustinus adversus Faustum libro XI,2 illud ipsum praeceptum ter repetens primo dicit ad 'exemplaria veriora' confugiendum esse, tum libri ab Afro haeretico prolati 'originem' spectandam, denique 'ex aliarum regionum codicibus, unde ipsa doctrina commeaverit,' iudicandam dubitationem. itaque apparet Augustinum vel Italicis libris usum esse vel ad Italicos exactis. 'nam codicibus emendandis', inquit, de doctrina Christiana libro II, 14. 15,21. 22, 'primitus debet invigilare sollertia eorum qui scripturas nosse desiderant, ut emendatis non emendati cedant ex uno dum taxat interpretationis genere venientes. in ipsis autem interpretationibus Itala ceteris praeferatur: nam est tenacior verborum cum perspicuitate sententiae.' non emendatos dicit qui suae dum taxat patriae consuetudinem sequantur, hoc est Africanos vel pueros vel interpolatos: inter ceteras nationes Italos habere exemplaria Graecae lectionis tenaciora: 'libros autem novi testamenti', inquit, 'siquid in Latinis varietatibus titubat, Graecis cedere oportere non dubium est, et maxime qui apud ecclesias doctiores et diligentiores reperuntur,' haec omnia recte et prudenter: nullum usquam verbum de illa, quam isagogistae somniant, Itala interpretatione omnium antiquissima. neque enim Augustinus, cum a Romana ecclesia euangelium in Africam ve-

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XIV

nisse crederet, indidem codices Latinos transvectos esse opinatus est, sed, ut res erat, primum in Africa natos: nam cum interpretes 'primis fidei temporibus' extitisse dicit, Romanae ecclesiae initia intellegere multis nominibus absurdum est, de Carthaginiensi valde probabile. quod autem Latinos interpretes numerari posse negat ('ut enim cuique', inquit, de doctrina Christiana libro II, 11, 16, 'primis fidei temporibus in manus venit codex Graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari'), hoc dicere voluit, si magis proprie locutus esset, in Africa versus finem saeculi secundi fuisse interpretes non multos, qui autem libros ab eis conversos interpolarent innumeros: quod ita fuisse nemini qui modo Cyprianum cum Tertulliano contulerit obscurum esse potest. sed illa, quam Italis Augustinus adscribit, codicum emendatio his interpolatationibus cum doctior fuit, tum eius temporibus propior, quippe quae ne tum quidem desisset et ipsius ceterorumque Afrorum studia in codicibus emendandis posita superaret. id quod vel ex Hieronymi editione apparet, qui cum Damaso iubente euangelia recenseret ita ut 'ne multum a lectionis Latinae consuetudine discreparent', quis dubitat eum Romanae potissimum ecclesiae lectionem secutum esse? qua si eo fere quo dicit modo usus est, ut his tantum quae sensum viderentur mutare correctis reliqua manere pateretur ut fuissent, in Romana exemplaria iam ante Hieronymi curam multa e Graecanicis illata esse credendum est, quae illi emendati codices Augustini nondum suscepissent.

Hoc igitur laudabili hominum doctorum et piorum studio novae editiones institutae sunt illis antiquis dissimillimae, quippe ex diverso genere codicum nuper ex oriente in Italiam traductorum correctae, quae tametsi ostendunt tum multos maiore et religione et labore quam hodie tractatores in scripturis sacris recensendis versatos esse, in nostra re nullam habere debent auctoritatem: nos enim testes simplices et incorruptos quaerimus, non virorum doctorum iudicia ex diversis fontibus derivata.

Ex hoc codicum emendatorum eoque nobis inutilium numero est apud Blanchinum Brixianus euangeliorum, quem saepe a purioribus Latinis desciscentem cum Augustino facere aliquot exemplis docebo e Luca petitis. 1,26 uterque habet 'in mense autem sexto'. 1,50 'in progeniem et progeniem' Brixianus, 'in progenies et progenies' Augustinus. 3,22 uterque 'Tu es filius meus dilectus'. 7,46 addunt 'pedes meos'. 10,1 'post haec autem', et 'in omnem civitatem et locum'. 10,42 additum 'unum est autem opus'. 11,39 omissum  $\pi\rho\acute{\upsilon}$ -



Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XV

*τρον* sive *πότρον*. 12,19 addita 'Anima' et 'posita in annos plurimos (in annos plurimos reposita *A*), requiesce comede (manduca *A*)·bibe', quibus *B* particulam 'et' adiecit. 16,31 'surrexerit'. 17,17 'Nonne'. 18,28 'dimisimū omnia'. extat in Berolinensi bibliotheca regia codex plus mille annorum, in quo euangelium Matthaei totum et Marci dimidiatum Hieronymiana sunt, cetera ex antiquiore Italica emendatione. is in iis quae modo dixi nihil differt a Brixisiensi, nisi quod capite 1,50 cum Augustino facit, 10,1 habet 'designavit autem dominus postea', et 'in omnem locum et civitatem', 10,42 'porro unum est necessarium', 12,19 omittit 'et'. sed ut alios correctores alia egisse appareat, ponam ex eodem euangelio Lucae quaedam in quibus Augustinus a Brixisiensi differt: quibus adiungam Berolinensem. 2,33 'pater eius' *A*(ugustinus), 'Joseph' *B*(rixiensis) *b*(erolinensis). 3,16 'in spiritu' *A*, addunt 'sancto' *Bb*. 7,42 'dilexit' *A*, 'diligit' *Bb*. 11,13 'dabit bona' *A*, 'dabit spiritum sanctum' *B*, 'dabit spiritum bonum' *b*. 18,29 'domū aut agrum' *A*, 'domum' *Bb*. 18,30 'habebit' *A*, omittunt *Bb*. 20,34 'generant et generantur' *A*, 'nubunt (nubent *b*) et traduntur ad nuptias' *Bb*. 21,15 'resistere' *A*, addunt 'aut (et *b*) contra dicere' *Bb*. 21,27 'in nube' *Ab*, 'in nubibus' *B*. 24,51-53 omittit *A* quae habet uterque liber, 'et elevabatur (ferebatur *b*) in caelum', 'adorantes eum', 'et bene dicentes'.

Nunc adscribam aliquot capitula e Brixiano et Berolinensi. ea ducam ex ea parte qua Berolinensis primum incipit a vulgata editione, id est ab Hieronymiana, secedere. ex adversa parte apponam eadem ita scripta ut Ferd. Florens Fleckius in anecdotis sacris Lipsiae anno 1837 editis exhibuit ex antiquissimis membranis Bobiensibus olim, nunc Taurinensibus. obliquis litteris scribentur quae cum Latinis non emendatis discrepant; capitalibus obliquis, quae ex Graecis emendata sunt. (Marci 8,32-9,10.)

Brixiensis (*B*) et Berolinensis (*b*).

et adprehensum *EV̄M* Petrus coepit increpare *EV̄M*. qui (Iesus autem *B*) conversus *ET* videns discipulos suos comminatus est Petro dicens Vade retro me, satanas (satana *B*), quoniam non sapis (intellegis *B*) quae dei sunt, sed quae [sunt *B*] hominum. et convocata [ad se *B*] turba cum discipulis suis dixit (ait *b*) *EIS* Siquis vult post me sequi (venire *b*),

Bobiensis.

et adpraehensum *EV̄M* Petrus obsecrat ne omnia diceret. conversus autem ille ..... corripuit Petrum, *ET DICIT* illi Vade de post me, satanas, quoniam non sapis quae sunt dei, sed quae sunt hominum. et convocata turba cum discipulis suis exit Si qui *volverit* ..... venire

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XVI

abneget (neget *b*) semet ipsum et tollat crucem suam, et sequatur me. qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me et euangelium, salvam faciet eam. quid enim proderit homini, si lucretur totum mundum (*MUNDUM TOTUM b*) et detrimentum faciat animae suae? aut quid (quam *b*) dabit homo commutationem pro anima sua? qui enim me confusus (*confessus b*) fuerit et mea verba in generatione ista adultera et peccatrice, et filius hominis confundet (*confitetur b*) eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. et dicebat illis Amen dico vobis quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum dei veniens (venientem *B*) in virtute. et post dies sex adsumpsit (*ADSUMMIT b*) Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem, et duxit illos in montem excelsum seorsum solos (*solus b*), et transfiguratus est coram ipsis, et vestimenta eius facta sunt splendentia [*ET b*] candida nimis velut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere. et apparuit eis (illis *b*) Helias cum Moysse, et erant conloquentes (loquentes *b*) cum Iesu. et respondens Petrus *AIT IESU* (*AIT ad Iesum B*) Rabbi, bonum est nos (nobis *b*) hic esse, [*ET B*] si vis (*OMITTIT b*) faciamus [hic *b*] tria tabernacula (*TAB. TRIA B*), tibi unum [*et B*] Moysi unum et Heliae unum. non enim sciebat quid diceret: *ERANT*

neget se et tollat *crucem*, et sequatur me. qui enim *volet salvare* animam suam, perdet illam .....  
 .....propter euangelium *autem* salvavit illam. quit enim proderit homini, si lucrefecerit totum mundum .. *deprimentum et autem animam* .... aut quit dabit homo commutationem pro anima sua? qui autem me *confessus* fuerit et meos ..... in natione adultera et peccatrice, et filios hominis confundetur illum, cum venerit in claritate patris sui cum angelis sanctis. et dicebat illis Amen dico vobis quia sunt hic quidam *ex eis qui adstans*, qui non *prius* gustabunt mortem donec videant regnum dei venisse in virtute. et post *sex dies* adsumpsit Ihesus Petrum et Iacobum et Iohannem, et *inseruit* eos in mentem *alcum solus cum solis*, et *commutata est sicura eius ante ipsos*, et vestimenta eius facta sunt ..... candida nimis [*OMISSVM*], qualia fullo super terram non potest *sic* alba producere. et visus est illis Helias cum Mose, et fuerunt conloquentes cum Ihesus. ....  
 ..... Rabbi, bonum est nobis hic esse, *ET* [*OMISSVM*] faciamus tria tabernacula, *unum tibi et Moysi unum et unum Heliae*. non enim sciebat quid *RESPONDE-*

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

enim timore exterriti. et facta est nubes (nubis *b*) obumbrans eos, et venit. (ecce *b*) vox de nube dicens Hic est filius meus carissimus (*dilectus B*), audite illum (ipsum aud. *B*). et confestium (statim *b*) circumspicientes neminem amplius viderunt (*vid. ampl. b*) [secum *B*], nisi Iesum tantum (solum *b*). et discendentibus (*DESCEND. AVTEM B*) illis de monte, praecepit eis ne cui enarrarent quae viderant (quae vidissent narrarent *b*), nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit. et *VERBUM* continuerunt apud se [ipsos *B*] conquiritentes quid esset cum a mortuis resurrexerit.

*RET*: in metu enim fuerat. et facta est nubis caeli *sadumbranseos*, et . . . . vox de nube [*OMISSUM*] Hic est filius meus *dilectissimus*, audite eum. et subito circumspexerunt et neminem . . . . . viderunt, *a* nisi Iesum solum. et discendentibus . . . . . de monte praecepit . . . . ne cui quae viderunt enarrarent, nisi cum filius hominis a *morte* resurrexisset. *quem sermonem tenebant* apud se . . . . . quid esset *A* mortuis resurrexerit.

quid iam videtur? de Brixienti et nostro id profecto quod dixi, eos suis castris relictis nimium saepe cum adversariis facere. de Bobiensi vero quid dicemus, nisi hunc quoque suis partibus parum fidelem summa negligentia perversis ac mutilatis sententiis efficere ut sui potius arbitrii esse quam sibi tradita cum fide reddere videatur? hunc igitur inter Italicos merito dicemus idioticum.

Atqui eadem ratione qua hos libros inter se et cum sincerioribus Africanis contulimus, singulos tractare convenit, si velimus qua quisque fide dignus sit explorare. nuper Bartholomaeus Kopitar, vir clarissimus, in miscellaneorum maximam partem Slavicorum libello \*) pag. 32 antiquissimum euangeliorum codicem humanissimis verbis mihi utendum optulit. age huius quoque paginam eam quam Kopitarius dedit excutiamus. (Matth. 13,33-38.)

Vindobonensis (*V*) et Brixientis (*B*). quod accipiens (acceptum *B*) mulier abscondit in farina (*FARINAE B*) *MENSURAS TRES* (mensuris tribus *B*), usque quo (donec *B*) *totum fermentetur* (fermentatum est totum *B*). haec [*igitur V*] omnia locutus est Iesus in parabolis *populo* (ad

Bobiensis. quod cum accepit mulier abscondit in farina *SATA TRI*, quoad usque fermentetur totum. ista omnia locutus est *de* in similitudinibus at

\*) Hesychii glossographi discipulus et *ἐπιλωσσοστής* Russus etc. Vindobonae 1839.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XVIII

turbas **B**), et sine parabolis non (*NIHIL B*) loquebatur eis; <sup>ut</sup> ut suppleretur (adimpleretur **B**) quod dictum est [*eis V*] per prophetam dicentem Aperiam in *parabolas* (parabolis **B**) os meum, eructuabor (eructuabo **B**) occulta (absconsa **B**) ab origine (a constitutione **B**) [*mundi B, OMITTIT V*]. tunc *relinquens populum* (dimissis turbis **B**) venit in domum [*Iesus B*]. et accesserunt ad eum discipuli [*eius B, omittit V*] dicentes *Dic* (*Edissere B*) nobis parabolam [*agri et V, OMITTIT B*] zizaniorum [*agri B*]. *QUIBUS (IPSE AUTEM B)* [respondens **B, omittit V**] ait (dixit eis **B**) Qui *bonum* seminavit (seminat bonum **B**) semen, filius est (est filius **B**) hominis: ager autem est hic mundus: bonum autem semen, hi sunt

turbas, et sine *SIMILITUDINE* non loquebatur illis; ut inpleretur quod dictum est per profetam dicentem Aperiam in similitudinibus os meum, eructabo absponsa ab origine [*OMISSVM*]. tunc dimissis turbis venit in domum. et accesserunt ad eum discipuli dicentes Narra nobis similitudinem [*OMISSVM*] zizaniorum agri. *ILLE AUTEM* respondit et dixit Qui seminat bonum semen, filius est hominis: ager autem est mundus: bonum autem semen, *inquit*, hi sunt

in his qui signa nostra perceperit intellegere poterit Vindobonensem e libris Graecanicis emendatam scripturam totiens fere quotiens aut Brixiensem aut Bobiensem exhibere, ipsum autem sibi vel saepius quam Bobiensem immutandae veteris vulgatae auctorem esse. itaque hunc codicem, si sibi ubique constaret, suae potius levitatis quam veteris famae testem esse iudicabam. ne tamen errarem, ab optimo Kopitario petii ut mihi alterum eius libri specimen mitteret. quo facto ille perquam officiose mihi et quanta euangeliorum pars eo contineretur scripsit (tenent autem membranae purpureae litteris argenteis et saepe aureis conscriptae euangelium secundum mattheum inde a cap. 12,49 'Mater mea | et ecce fratres | mei', tum cara rohanxem et cara lucan integra, secundum Marcum primis viginti versiculis decurtatum, ita, 'Eum et ingredients calpharnaum | continuo in|travit sabba|tis in synago|', desinens autem capite sexto), et alterius paginae exemplum misit, quod signis meis et libri Brixiensis varietatibus interpolatum subieci. (Matth. 20,22-28.)

urus sum [aut baptisma *baptizari* quo *ego B*]? dicent (dicunt **B**) ei Possumus. ait illis [*Iesus V, OMITTIT B*] Calicem quidem meum bibetis [et baptisma quo ego baptizor *baptizamini B*], sedere autem ad dexteram meam aut (vel ad **B**) sinistram non est meum dare vobis,

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XIX

sed quibus paratum est a patre meo. et audientes [decem **B**, *omittit V*] contristati (indignati **B**) sunt de duobus fratribus. Iesus autem vocavit eos ad se et ait [*eis V*] Scites (Scitis **B**) quod (quia **B**) principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt potestatem exurcent (exercent **B**) in eis. non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, erit (*sit B*) vester minister, et qui (quicumque **B**) voluerit inter vos primus esse, erit vester servus, sicut [*enim B*] filius hominis non venit ministrari, sed ministrare et dare animam

atque hic quidem nihil est e Graecis codicibus derivatum; sed ne in Brixienti quidem, praeter illam nominis Iesu omissionem. quod si vel duo proximi versus exscripti essent, constare poterat utrum in gravissimis rebus Vindobonensis Graecorum auctoritatem Latinis praetulisset. vide quae notavimus p. 119,2. illud certissimum est, nihil neque veteris vulgatae neque Italicae emendationis superesse in Graeco et Latino euangeliorum codice quem privato studio apud Sanctum Gallum in commune patnaverunt Ellinici fratres Notkeri Balbuli, Graecum exemplar satis antiquum, adminiculis nullis nisi a sua imperitia et ab Hieronymiana editione petitis, interpretati: cuius codicis ectypa H. C. M. Rettigius Turici edidit anno 1836.

**S**entio me de Latinis codicibus plura dixisse quam vellet isagogistarum et tractatorum vulgus; qui illos codices supra modum contemnunt, et quidem promiscue omnes, veteres Africanos, emendatos Italicos, privatim interpolatos, in primis autem eos de quibus infra explicare dicam, vulgatos Hieronymianos. quod cum viderem eos facere primum eo quod horum librorum nullam accuratam haberent notitiam, tum Graecorum exemplarium pervulgatorum et recentium veneratione nimia, postremo caeca quadam ac stulta superstitione, ego his vitii fortiter resistendum esse ratus curavi ut intellegeretur primum qualis esset universa illa antiqua Graeca Latine vertendi ratio, tum antiquissimorum testimoniis constanter pertractatis, non, qui mos est criticorum, cursim arreptis, quam non leve ad veram et veterem lectionem cognoscendam inesset adiumentum. quod si hodie illi codices Graeci extarent quos ante finem saeculi secundi in occidentem perlatos et Irenaeus et Latini versarunt interpretes, nobis necesse non esset pro fontibus rivos consecrari. sed non est ea temporum

b \*

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XX

nostrorum felicitas, quippe quibus vix duo illorum antiquissimorum occidentis librorum exempla multo recentiora satis accurate cognoscere liceat; alterum Parisiense, quod falso nomine Claromontanum usurpatur, uncialibus litteris circa saeculum septimum, alterum Börnerianum nono saeculo apud Sangallenses scriptum. nihilo minus per hos duo libros Graecos efficitur ut epistularum Pauli (nam has complectuntur solas) multis partibus certior lectio sit quam reliquorum novi testamenti librorum, quorum nulla exemplaria supersunt in occidente scripta. Börnerianum, ut dixi, Christ. Frid. Matthaei typis exprimendum curavit: in Claromontano Ioh. Iac. Wetstenii sequimur auctoritatem; nisi quod huius aliquot errores Ioh. Iac. Griesbachius in symbolarum criticarum volumine altero indicavit, quod Halae edidit anno 1793.

Hinc mihi a Gallis et Afris ad diversas orbis terrarum partes transeundum est: nam excussis occidentis codicibus porro quaerere oportet quo exemplo libri sacri saeculo tertio et quarto scripti fuerint in oriente Christiano. vetustiores enim testes non habemus, cum neque Clemens Alexandrinus sacram scripturam accurate referre soleat, neque Origenes usquam sui temporis codices, quos multum inter sese differre queritur 3,671<sup>c</sup>, antiquiorum auctoritate confutet; quod contra Irenaeus libro quinto p. 328 et scriptorum peccata et a veritate excidentibus coarguit *ταῖς σπουδαίαις καὶ ἀρχαίαις ἀντιγράφοις*, 'antiquis et probatissimis et veteribus (sic) scripturis'. ceterum quod hic orientem universe spectandum dico, non Alexandrinos Syros Palaestinos singillatim considerandos, id erunt fortasse qui reprehendant. quibus de re, si illos diversis exemplaribus usos esse demonstraverint, concedam: reprehensionem contemnere potero eorum qui cum ipsi nihil laboris in se suscipiant, quid alii faciendum reliquerint in cassum opinari et quid agere debeant superbe imperare didicerunt. at ego de Latinis, quosnam in his libris sacris recensendis auctores sequi conveniret, primus nunc docere institui; in quo quam utilis mihi Sabatarii opera fuerit, vel ex eo intellegi potest quod Augustini testimonia, quae supra p. xiv et xv cum aliis Latinis componebam, diligenter conquirere nihil opus fuit, sed ea ex Sabatarii copiis petere licuit: in Graecis nullum nobis huius modi adiuventum praesto fuit, praeter excerpta Origenis, quae laudabili studio Griesbachii debemus, relata ab eo in alterum volumen symbolarum. adeo praeter hunc nemo Sabatarii diligentiam aemulari et ad eandem laudem aspirare voluit. ni mirum plerique ingenium adfectant, laborem fastidiunt. nam de Ioh. Severino Vaterno, levissimo homine, tacere praestat: quae Christ.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

Frid. Matthaei ex Chrysostomo collegit, exclusimus, ne ad quintum saeculum descenderemus.

Itaque ex scriptoribus Graecis tantisper Origene solo usi sumus; non quod is mihi, ut olim multis, hos libros novo exemplo scribendos praecepisse videretur (nam Hieronymus cum in Matthaeum libro quarto (24,36) \*) et in epistolam ad Galatas libro primo (3,1) se Adamantii exemplaria alijs praeferre profitetur, eius commentarios intellegendos esse ex eo apparet quod priore loco 'Pierii exemplaria' adiecta sunt, quem libros sacros recensuisse nemo testatur, sed eum in amplo de prophetia Osee volumine Matthaei verba apposuisse credible est, quibus ipse Hieronymus utitur ad Osee cap. 3,4): sed Origenis et multa numero testimonia erant et sola collecta extabant. atque hic Buttmannus, indicia Griesbachii in ipsis Origenis voluminibus persecutus, ab initio fere ea tantum quae scriptorem verbis suis testari vidisset adnotavit, paulatim plura, post inde ab initio euangelii Marci omnia quomodo illic scripta essent exhibuit, multa rectius quam Griesbachius fecisset, quaedam etiam ab eo praetermissa, cuius laboris fructu qui carere nolent, ipsa Origenis verba in eius scriptorum voluminibus requirere debebunt, neque nostris commentarijs ad quamvis opinionem fulciendam abuti \*\*). quod ipsum in Latinorum quoque scriptorum, quibus usi sumus, libris observandum est: neque enim pigritiae adiuvandae sed studii excitandi causa singulis locis apposuimus numeros paginarum. Eusebii et Athanasii testimonia coeperam in unum congerere: sed labor abruptus nobis non profuit. non nihil effecerunt Eusebii canones a Buttmannō variorum librorum ope magno studio correcti; quorum numeros, quo commodius expendi possent more nostro scriptos, Hieronymianae interpretationi inseruit \*\*\*).

Libros autem scriptos, qui quidem cum Origene et ceteris orientis scriptoribus magis quam cum Latinis consentiant, et satis antiquos

\*) Pudenda negligentia p.147,6 omisimus haec Hieronymi verba. in quibusdam Latinis codicibus additum est neque filius, cum in Graecis et maxime Adamantii et Pierii exemplaribus hoc non habeatur adscriptum.

\*\*\*) Pag.121,2-4, nequis falleretur, poteramus addere legendum esse *προτεταχμένα τινὰ τοῦ πρώτου*, et *ἡ ὥς ἐν τισι πολλοῖν υἱὸν ὄνου* ex pag. 742<sup>d</sup>. in Irenaei verbis pag.341,5 de LXXII generationibus non debebam dubitare: videtur enim ille non legisse Matthathian Amos Maath, quos omittunt Latina exemplaria *abc*. pag.547,6 post *πληρης ΑΒΣ Orig* adde *qui soloecismum euangelistae agnoscit* 4,93<sup>b</sup>.

\*\*\*\*) Pag.17,3 scribendum est (22,6), pag.54,11 (100,6), pag.445,2 (165,2), pag.689,9 (180,1).

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XXII

et ad usum promptos habemus tres numero, Vaticanum antiquissimum, Alexandrinum Britannici Musei, regium Ephraemi Syri palimpseston. quibus in euangeliorum aliquot particulis accedunt Borgianus cui Sahidica interpretatio adiuncta, et deleta vetere scriptura duo Guelferbytni ac Dublinensis. nam Pauli epistularum fragmenta ex Coisliniano codice anno 1715 a Montefalconio in bibliotheca Coisliniana p. 251 edita non sunt magni momenti, quamvis cum libro Pamphili manu scripto dicantur esse collata. sed ne illi quidem tres, quos primo loco commemoravi, ab omni parte integri sunt. Vaticano deest ad Hebraeos epistolae pars prope dimidia, item ad Timotheum Titum Philemonem epistolae et apocalypsis; Alexandrino euangelii Matthaei dodrans, Iohannis sescuncia, secundae ad Corinthios epistolae septunx: Ephraemi opuscula qui in delecticiis membranis scripsit, multas librorum sacrorum paginas vel spreuit vel, quod iam perissent, conscribere non potuit.

Vaticani exempla Angelo Maio curante typis expressa iam dudum extare accepi, sed indignis tenebris celari: nobis ea tantum praesto fuerunt quae homines pii et veritatis studiosi publico usui concesserunt. in appendice novi testamenti ex Alexandrino codice editi Henricus Fordus Oxonii anno 1799 exhibuit Vaticani varietates ex editionis Argentoratensis anni 1524 exemplari, quod Thomae Bentleii erat, a Carolo Godofredo Woidio in Oxoniense anni 1675 transcriptas. illud, si Monkio fides est \*), Philippo Stoschio procurante adnotatum ad Richardum Bentleium missum fuerat: maximas in conferendo codice partes Itali cuiusdam fuisse dicit, qui fuerit Mico nomine. sed is homo non tam ipsam veterem scripturam quam superductiones multis saeculis post factas expressit. quod cum ex Andreae Birchii commentariis anno 1801 et 1798 editis appareat, nihilo minus tantum afuit ut hic certe librum omnium longe antiquissimum summa et cura et fide excuteret, ut euangelia Lucae et Iohannis ne inspexerit quidem, sed Woidii schedas describere satis esse duxerit. quid quod in paucis illis versibus quorum ectypon Blanchinus inseruit euangeliarum quadruplicis volumini priori ad pag. cxxcxi, invenimus quaedam a Fordo et Birchio neglecta vel perperam tradita \*\*). et Leonhardus Hugius in dissertatione anno 1810 edita paene per-

---

\*) The life of R. Bentley, by James Henry Monk, Lond. 1830, p. 521.

\*\*) Pagina 541, 4.5 non debuimus dubitare. delenda sunt illa, ο κρυφός οντως ηγεροθη Β?



Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

petua esse monet quae illi vix usquam commemorant, ᾧ paragogicum, συλλημψη λημψεθε λημφθησεται λημφθεντω. quid igitur mirum si huic libro interdum vel falsa adscripsimus vel ex contrariis testibus cui esset fides habenda dubitavimus?

In Alexandrino codice, quem idem Woidius typis exscriptum dedit Londini anno 1786, rarior dubitandi materia superest, vix ulla futura nisi Woidius nescio qua prave pronuntiandi consuetudine litteras ē et ē̄, item ō et ō̄, frequenter permutavisset.

Codicem regium Ephraemi palimpseston cum Ioh. Iac. Wetstenius primum non satis sollerter excussisset, opera curiosius repetita \*) Bentleio quinquaginta libris monetae Anglicae constitit\*\*). nobis tantum editis Wetstenii commentariis, qui annis 1751 et 1752 in lucem prodierunt, uti licuit; de quibus recte monet Griesbachius, in symbolis I p. v, cavendum esse nequis a silentio petat auctoritatem: 'saepe enim', inquit, 'vocabulum aut στίχος prorsus evanuit, quanvis et antecedentia et consequentia facili negotio legantur': et Wetstenius more perverso, quem a Bentleio improbatum puto, sed ille quibusdam isagogistis praeclarus videtur, non quam quisque liber confirmaret scripturam, sed tantum cui repugnaret, indicavit. itaque hoc quoque codice rectius excusso fiet ut paulo saepius quam a nobis factum est ea in quibus cum vulgari lectione consentit probanda sint. sed Parisiis per hos proximos centum annos nemo inventus est qui tanto thesauro promendo ecclesiae Christianae bene faceret. nam quae Fleckius nuper enotavit, nobis non multum profuerunt: adeo et pauca sunt et exigua cum fide tradita. ab Aenoth. Frid. Const. Tischendorfio parari regii codicis editionem comperi: qui cum se hodie ea quae *abs re* esse intellexerit acturum polliceatur\*\*\*), si quando quod *e re* sit fecerit, quidquid novo testamento edendo peccavit (nam illa editio, si verum dicendum est, tota peccatum est), utilissimo labore poterit emendare.

Particulas euangeliorum in Borgianis membranis et in Guelferbytans Isidori originum delecticiis servatas qui ediderunt, Augustinus Antonius Georgius Romae anno 1789, Franciscus Antonius Knittelius Brunsvici (1762), negotium ita gesserunt ut vix paucula dubitanda reliquerint. neque artifex sua laude fraudandus est, qui Dublinensem

\*) Vide Wetstenii prolegomena vol. I p. 153.

\*\*\*) Monk's life of R. Bentley p. 429.

\*\*\*) In praefatione novi testamenti p. LIII ima et LVII media.

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)**XXIV**

scripturam e literis curiose eruit et affabre depinxit: Iohannem Barretum, qui Dublini edidit anno 1801, non laudo, hominem huius artis ultra quam credi potest imperitum.

**N**unc tandem omnibus enumeratis novi testamenti recensendi praesidiis intellegi poterit qua fide singula sacrarum paginarum vocabula potuerint exhiberi. nam singuli testes quo loco habendi essent, hic exposui: quinam autem eorum quoque in loco testimonium dixissent, Buttmannus omnibus ex arte dispositis indicavit. sunt autem testes ii quos adhibuimus numero quidem non multi, sed fide et auctoritate maxima, quippe et omnium antiquissimi et ex duabus diversis regionibus collecti. nihilo minus, nequis falsa specie deciperetur, saepe supra diximus neque de omnibus, quid referant, ubique constare, neque ad unum omnes semper testimonium dicere, neque auctorum Graecorum scripta satis ad hunc diem esse excussa, et nos unum alterumve codicem Latinum neglexisse. horum tamen pars ut in posterum reparari poterit, ita aliquando etiam licebit ex aliis atque aliis regionibus testes de sacris scripturis interrogare. nobis autem quid prodesset Syrorum linguam didicisse, antiquissimis et fide dignis veteris interpretationis codicibus nondum, ad eum modum quo nos Latinos distinximus, segregatis et in lucem protractis? Sahidica fortasse iam nunc uti possit homo doctior nobis. a Gotthica abstinuimus, quoniam in multis suspectae fidei est, neque ea auctoritate qua foret ipsa Viliae manus, si nulli correctores supervenissent.

Sed in illis duarum, ut dixi, regionum testibus adhibendis, praeter cetera quae reparari posse dixi, duplici urgemur incommodo, eoque tali ut, cum tolli nullo modo possit, aliquo certe solacio vel fomento, si qua reperiri possit, minuendum sit. nam cum Graeci codices in occidente scripti, praeterquam Pauli epistularum, nulli quibus confidere possimus supersint, verendum est ne in formis vocabulorum, et in ceteris quae Latine satis accurate exprimi non potuere, Aegyptiorum auctoritati nimium saepe obtemperemus, aliarum regionum consuetudine neglecta. hic igitur locorum laboramus angustia: in orientis exemplaribus cavendum est ne per temporum latitudinem vagemur et constitutos antiquitatis terminos excedamus, si forte illi tres codices quibus paene solis utimur, quoniam eorum aetas accurate definiri adhuc non potuit, interdum aliquid quarto saeculo nondum cognitum ex novicio usu susceperint. sed huic quidem malo paratum remedium

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XXV

est: nam Latina ab Hieronymo emendata quotiens ab antiquioribus Latinis discrepant, ita cum illis Graecis exemplaribus quae sequimur conspirant, ut in haec vix quicquam novicii ascitum esse appareat. quod ut ita esse facillime quis intellexeret, vulgatam ab Hieronymo correctam nostris commentariis subiecimus. contra ex illa quam supra dixi locorum angustia tantum modo in euangeliis et in actibus apostolorum aliquatenus licet evadere, quoniam Cantabrigiensis codex Graecus et Latinus, quamvis eo exemplo scriptus sit quod a compluribus varie corruptum atque interpolatum esse appareat, nullam tamen grammatici emendatoris curam videtur expertus esse, sed in quibus vocabulis Graecis eorumve formis cum aliquo ex, oriente libro concinit, antiquam exemplarium in occidentem transvectorum scripturam referre non inepte censebitur.

Hic enimvero et satis erat et laboris exigui, si ea tantum quibus Vaticani et Alexandrini et his similibus scriptura confirmatur, ex splendida Thomae Kiplingii editione anno 1793 facta repetissemus: sed nequid nostro arbitratu temere exclusisse videremur, maluius victo immenso taedio totum codicem, qualiscumque esset, repraesentare. illud tamen in euangeliis lectores minus prudenter a nobis institutum deprehendent, quod Graeca et Latina codicis verba ubi inter sese non differunt, ibi Graecis verbis solam Graeci codicis notam apposimus. quod quamquam eum qui rem noverit fallere plerumque non potest (nam ubi Latina addita non sunt, sciet ea Graecis respondere: ubi Latina sola recitari sentiet, Graecam paginam deperisse intellet), nihilo minus, quotiens Latina deficient, Graeca sola restant, cavendum est nequis erret. id autem sexiens accidit; Matth. 2,21 *ο δε διεγερθεις* ... 3,7 *υμειν φυγειν*; 6,8 *οιδεν γαρ* ... 20 *εν ουρανω*; 26,65 *ιδε νυν* ... 27,1 *θαναιωσουσιν αυτον*; Marci 16,6 *τον εστηρωμενον* ... 15 *το ευαγγελιον*; Ioh. 1,1 *εν αρχη* ... 16 *ημεις παντες*; 18,2 *ιουδας* ... 14 *του ενιαυτου εκεινου*. hoc incommodum declinabimus in actibus apostolorum. cuius libri Laudianum quoque codicem Graecum et Latinum, quem Thomas Hearnus Oxonii anno 1715 edidit, totum exhibebimus; nullius quidem illum auctoritatis, nisi sicubi forte aliquam litterulam aut articulum suo tueatur consensu.

De vulgata Hieronymiana accuratius dicendum est, quoniam ea Graecis adicienda morem veterem secutus sum post Theodori Bezae tempora fastiditum nec nisi a Christ. Frid. Matthaei et ab eo non satis curiose revocatum. primum igitur, ut vulgata interpretatio accurate cognosceretur, cur ad nostrum institutum pertineret, supra exposui. deinde ab omnibus intellegi volebam quam multis nominibus

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XXVI

Hieronymiana lectio cum illi ementitae receptae tum Griesbachianae imbecillitati praestet. ad haec ita sentiebam, non posse quemquam, quomodo Latina interpretatione ad Graecam lectionem eruendam uti oporteret, perspicere, nisi omnem illam veterem vertendi sive diligentiam sive inscitiam longo usu et continua lectione didicisset. habet enim haec Latinorum cum Graecis comparatio et difficultatem et vero fidem multo maiorem quam ii qui se Griesbachio addixerunt opinantur: quos ut sibi placere facile patimur, ita, ut lectores navi ac prudentes adiuventur et tam cavere in tempore quam confidere disceant, difficiliora quaedam in euangelis a Buttmanno observata huic praefationi adiungenda duximus. postremo non minima causa, cur Hieronymi interpretationem lectorum oculis expositam cuperem, haec erat, quod hunc locupletissimum linguae Latinae thesaurum ab iis ignorari aegre ferebam, qui in cognoscenda grammatica nullis nisi antiquissimis scriptoribus, scriptis autem codicibus nullis nisi recentissimis utuntur, quasi scilicet lingua Latina tertio saeculo interisset ac duodecimo vel quinto decimo revixisset.

Sed cum eam quam requirebam ad diversa studia utilitatem Vaticanam exemplaria Sixti quinti et Clementis octavi auctoritate correctam non plene praestare vidissem, malui illis neglectis sola antiquissima sequi, neque facile quicquam admittere nisi quod ante saeculum decimum a librariis exhibitum reperissem. nam quod Fleckius nuper dixit, 'novam textus conformationem nemini in hac versione licitum esse tentare ex antiquis ecclesiasticis legibus, quae sacrosanctae multis videantur', hominis est non modo condicionem suam sed etiam Martianaem et Vallarsium ignorantis. hoc scio, ipsi Fleckio non Vaticanam sed Leandri van Ess illam ne approbatam quidem editionem eiusque et distinctiones monstro similes et ipsos typhotetae errores sacro sanctos videri, quos neque tollere sustinuerit neque a codice antiquo Laurentiano abesse confiteatur: nam cur ei quem saepe negligentem expertus sum, credam Matth. 12,29 in Laurentiano esse 'At', non 'aut', et 27,33 'Golgatha' potius quam 'Golgotha', item 24,15 abesse 'a' praepositionem?

<sup>1374</sup> Inter vulgatae interpretationis exemplaria, quibus usus sum, primum locum Fuldense tenet, de quo me nugas narrasse idem Fleckius fabulatur in nupera editione pagina VIII. mihi id cum esset olim notissimum (egit enim de eo curiose Ioh. Frider. Schannat in vindemiae litterariae collectione prima Fuldae anno 1723 edita p. 218), ab H. C. M. Rettigio in theologicorum studiorum annali quinto (1832, vol. II p. 900) edoctus librum adhuc praesentem et incolumem Fuldae ser-

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XXVII

vari, autumno anni 1839 cum Buttmanno illuc profectus sum: ubi nobis humanissime exceptis, mox etiam custode fatigando summoto, libere quae vellemus exquirere et reperta enotare licuit. itaque Fuldensis liber membranis in oblongam paginarum formam quinquiplicatis omne novum testamentum exhibet una eademque manu scriptum iussu Victoris episcopi Capuae, qui eum totum sua manu emendavit, et actibus apostolorum subscripsit haec, 'Victor, famulus Christi et eius gratia episcopus Capuae, legi sexto nonas Maias die, indictione nona, quinquiens post consulatum Basilii viri clarissimi'; quibus significat annum Christi 546. item alia subscriptione in fine voluminis posita, sed scalpro concisa et medicamentorum infusione deleta, quantum intellegi potest, idem Victor se cetera partim eadem indictione nona, partim indictione decima, die pridie iduum Aprilium, legisse declaravit. sed et haec et reliqua a Schannato recte exposita nemo qui haec studia tractavit ignorat. ego tantum adiciam, Victorem episcopum, dum singula relegit, aliis libris quam quos ipsos antiquario describendos tradidisset nullis usum esse, praeterquam in Paulinis epistulis, quibus etiam adscripsit ad 'dona' in priore ad Cor. 1,31 'alibi carismata', et ad 'facientes' ad Hebr. 6,1 'a iacientes'. illud mihi permirum videbatur, quod cum librarius vocabula in versuum confiniis ad eum morem quem antiquis omnibus, quotquot ea per syllabas dividunt, communem esse constat divisisset, ita, 'ius-tus abs-consa quis-quam intellec-ta cog-nouissent mas-culi prop-ter auc-toris apos-tolorum praedes-tinavit nobis-cum', Victor, grammaticorum scitis fraudem fieri non ferens, talia pleraque omnia sua manu reformavit: nunc minus miror, cum intellexerim etiam nostri temporis grammaticistas de hac re quam subtilissime praecipere solere. sed eosdem de aliis pinguius disputare comperi; velut cum Priscianum, insecutum auctorem, secuti scribendum docent 'hu-ius' vel 'ma-ius', qualia veteres librarii prudentius non diviserunt. quare siquid noster typographus me parum attendente in hoc utroque genere peccavit, grammatae imputabitur sapientiae, non meae voluntati. sed haec doctos lectores non morabuntur.

Alio eiusdem fere vetustatis codice, qui ipse quoque omnes novi testamenti libros continet, ita ut fieri debuit uti mihi non licuit. Laurentianum dico, olim monasterii Amiatiae Cisterciensium, quem (ita in ipso libro scriptum) *ο κυρις σερβανδος αιποιησεν*, eumque, quod Bandinius ex quorundam versiculorum fragmentis sollerter eruit, idem ille qui scribi iussit, Benedicti Casinensis discipulus, monasterii in Campania a Liberio patricio constituti 'Servandus Latii extremis de

Cambridge University Press

978-1-108-00761-0 - Novum Testamentum Graece et Latine, Volume 1

Edited by Karl Lachmann and Philipp Buttmann

Frontmatter

[More information](#)

## XXVIII

finibus abbas' quondam 'culmen ad eximii merito venerabile Petri' transmiserat. ex hoc igitur codice cum Fleckius quaecumque a Vaticana editione differrent exhibere vellet, diligentiam tam parum constantem praestitit, ut ex silentio eius, quid habeat codex, colligere vix usquam ausus sim, neque eum nomine appellare in euangeliis consultum duxerim, nisi ubi a ceteris quibus uterer exemplaribus dissentiret \*).

Ea fuerunt antiquissima duo; alterum Perusinum Lucae decurtatum, a Blanchino minus curiose editum; alterum tripertitum, ex quo Matthaeum Lucan Iohannen a Foro Iulii petitos paulo accuratius idem Blanchinus, Pragenses Marci reliquias Iosephus Dobrovius Pragae anno 1778 cum eximia diligentiae laude expressit, Venetae adhuc latent; praeter haec Berolinensia saeculi noni tria, de quorum uno supra pagina xv dixi, alterum olim Erasmi fuit, tertium aureis litteris scriptum est.

Fuldensis libri cum paulo minor sit in euangeliis utilitas, quippe quae non ex ordine scripta sed in harmoniam contexta exhibeat, nomen eius iis tantum modo quae seorsum a ceteris vel solus vel cum Laurentiano haberet apposui. nihilo minus, nequid lectoribus subtrahere videamur, praesertim cum Victoris Capuensis librarius longe emendatius scriptum euangeliorum harmoniae quam ceterorum novi testamenti partium exemplar ante oculos habuerit, promittimus nos altero volumine debitum exsoluturos: illic enim singula enumerabimus quibus vel Fuldensis vel Sangallensis harmoniae codex a nuperrima amici nostri Iohannis Andreae Schmelleri editione differt; rem eis quoque qui veteris Thütsici interpretis ingenium recte cognoscere volent scitu necessariam. ceterum illam euangeliorum harmoniam cum Victor episcopus sine auctoris nomine Latine scriptam repperisset, iniuria se Ammonium vel Tatianum tenere existimavit: quod miror ei vel doctissimos quosdam viros credidisse, cum mihi manifestum videatur hoc opus neque subtile neque doctum post Hieronymi obitum hominem Latinum pium ac simplicem suo studio perfecisse, adiutum

---

\*) Aliorum negligentiam minus invidiose carpere videbor, si meam ex parte correxero. pagina 175 versu 2 addendum 'reaedificabat L'. pag. 209 versu paene ultimo Fuldensem omittit 'fructus' mihi non credo. p. 321,3 scribendum 'deus om FL'. p. 343,5 addendum 'Lamach F', et versu 7 'Malelehel FL'. pag. 350,5 'dimisit (-erunt) illam (eam)'. p. 356,7 'blasphemias (-iam)'. p. 359,5 'ueniunt' est a typographo: debet esse 'uenient'. p. 415,4 'descendebat (discedebat)'. pag. 431,4 'ueniunt L'.